

Utrum increatum esse potestate propria aliquid inginitum valeat producere. Videtur quod sic, gratie anime Christi est infinitum, igitur. Patet consequentia, quia illa ab increato esse fuit producta, et tamen nunc est potens quantum tunc fuit. Sed probatur antecedens auctoritate Magistri, dicentis, libri 3, distinctione 8, Christum secundum hominem tantam a conceptione habuisse sapientie et gratie plenitudinem, ut Deus ei plenius conferre non potuit, ex quibus sequitur quod illa gratia et sapientia fuit infinita, quia omni finito dato Deus plus valet producere.

Ad oppositum, arguitur sic: nulla creatura potest carere ratione vestigii deitatis. Igitur nec ratione finitatis. Patet consequentia, quia ratione vestigii est numerus pondus et mensura. Antecedens patet, quia non potest esse effectus quando sit vestigium efficientis.

Respondeo ponendo tres conclusiones.

Prima conclusio est quod increatum esse lineam infinitam non valet producere. Accipiendo lineam infinitam categori.

Probatur tripliciter.

Primo sic: si Deus posset facere lineam infinitam, sequitur quod possit facere contradictoria, ut contradicunt simul esse vera. Consequens falsum et implicat. Probo consequentiam, quia volo quod Deus faciat unam lineam terminatam versus orientem quae sit a et sit versus occidentem infinita. Similiter faciat aliam lineam terminatam versus orientem, et sic c, et punctus terminans b, versus orientem sit. Istant in supra pono quod c magis appropinquet ad orientem quam d, hic posito statim, sequitur quod a est longior b, et quod b est longior a. Quod a sit longior apparet, quia versus occidentem est tamen longa, sicut b tamen a et b versus occidentem sunt equaliter infinita, tamen versus orientem a est longior b, cum c magis appropinquet ad orientem [92va] quam d. Igitur a est longior b, sequitur etiam quod b sit longior a, quia pono quod Deus moveat a et b circulariter, c et d remanentibus semper in eisdem sitibus, donec utraque pars ex parte cuius sunt infinita, sit versus orientem. Nunc complecto semicirculo, probo quod b sit longior a, quia a et b sunt infinita versus orientem, et tunc c excedit d versus occidentem. Igitur b est longior a sequitur. Igitur ex casu quod a sit longior b et e converso manente longitudine utriusque quod implicat.

Secundo sic: si conclusio non sit vera, sequitur quod una linea esset longior alia et non longior. Consequens falsum, quia implicat. Probatur consequentia, quia sit, a linea simpliciter ab omni parte infinita, et sit b alia linea infinita, secundum quid, scilicet solum ab una parte, tunc certum est quod a est longior b. Sed probo etiam quod non sit longior b, quia sit c quidam punctus assignatus in mundo, et ponat Deus primam partem pedalem b lineae ex una parte c puncti, et secundam partem pedalem ex alia, et sic in infinitum, tunc ex utraque parte c sunt partes pedales infinite v lineae continet. Igitur alias partes Deus sine rarefactione vel condensatione, tunc ista linea sic composita ex partibus b, erit ita longa sicut a, et nunc non est longior quam prius fuit, quia nihil additum est nec rarefactum. Igitur etc et potest facilius probari quod b sit ita longa sicut a, quia dividat Deus b in duas partes aequales et unam partem ponat ab una parte, et alia ab alia tunc vel utraque c erit linea infinita. Et habetur propositum vel ex nulla et hoc non potest esse, cum ante fuerit ex una parte infinita, et nihil fit ablatum vel condensatum.

Tertio sic: si conclusio non sit vera, sequitur quod aliquid infinite ab aliquo situ, possit distare insimul et non infinite. Consequens falsum et implicat. Probatur consequentia, quia faciat Deus unam lineam infinitam a centro mundi versus orientem et sit a. Tunc condenset Deus primam partem bipedalem ipsius a versus centrum ad subduplum, scilicet ad pedalem, et

sic secundum et sic in infinitum. Ita quod tota linea a sit reddacta ad subduplum ex parte centri, et sic punctus terminans a versus centrum b, et centrum sit c, tunc **quaero** aut b distat a centro finite vel infinite, si finite contra, quia b distat a c per infinitas pedales quantitates. Igitur inginite di-[92vb] stat a c. Sed probo quod non distet infinite, quia tunc a erit in loco, sed nullus locus imaginabilis secundeum se totum infinite distat a c. Igitur nec ipsa linea a.

Contra conclusionem arguitur tripliciter.

Primo sic: Deum producere lineam infinitam non implicatur. Igitur ipsam potest producere. Consequentia nota, sed probatur ante cedens, quia hoc non repugnat potestari divine. Patet, quia in pmni parte proportionali alicuius temporis Deus posset unam lineam augere per pedalem quantitatem, et illam tunc conservare, et in fine illius temporis linea illa esse infinita, nec repugnat linee, quia magis repugnat linee augeri in infinitum quam numero. Numerus autem in infinitum potest augeri, igitur.

Secundo sic: quantum lineam contingit esse in potentia, tantum contingit esse in actu. Sed infinitam lineam contingit esse in potentia, igitur. Maior apparetm quia aliter illa potetia esset frustra. Sed minor probatur, quia omni linea data contingit dare maiorem.

Tertio sic: accipio unam lineam pedalis quantitatis. Nunc qrguo sic: quamlibet partem proportionalem istius linne potest Deus augere ad quantitatem prime partis proportionalis. Igitur et istam lineam oitest facere infinitam. Consequentia nota, quia sicut sunt infinite parte proportionales illius linne sic facta dicta augmentatio haberet infinitas parte semipedales, que lineam facerent infinitam. Sed antecedens patet, quia quamlibet illarum partium proportionalium creavit Deus. Igitur et quamlibet potest augmentare, quia non est ei difficilius unam rem augmentare quam ipsam creare.

Respondeo.

Ad primum, nego antecedens. Ad probationem dico quod includit repugnatiam ex parte linnee, ut patet per augmenta facta ad conclusionem. Ad probationem dico quod augeri in infinitum nin repugnat linee, sed bene linee repugnat quod sit infinita. Dico etiam quod repugnat divine potestati que tantum est perfecta quod nihil imperfectum potest producere, et quia lineam esse infinitam includit maximam imperfectionem, quia includit contradictionem. Igitur et quando probatur quod non repugnat Deo, quia potest in omni parte etc. Dico quod lucet Deus posset in omi producere divisim, tamen non potest in omni con-[93ra] iunctum, quia omnes partes propositionale alicuius hore, non possunt omnes coniunctim accipi non sint tot quin plures.

Ad secundum, duco quod licet contingat infinitam esse lineam in potentia, quia omni linea data potest maior dari, non tamen contingit in potentia lineam esse infinitam.

Ad tertium, dico quod quamlibet partem linee predictae potest Deus augere ad quantitatem prime partis, sed non potest augere quamlibet nec est facilius Deo creare quam augere, nec econverso, quia primum non implicat, scilicet quod quamlibet partem augeat, sed bene secundum, scilicet quod augeat partem quamlibet.

Secunda conclusio est quod increatum esse corpus infinitum non valet producere.

Probatur tripliciter.

Primo sic: si conclusio non sit vera, sequitur quod Deus possit facere asinum infinitum, vel infinite quantitatis. Consequens est impossibile. Sed patet consequentia, quia non magis repugnaret hoc de asino quam de quocumque alio corpore. Sed falsita consequentis probatur,

quia si faceret asinum infinite quantitas, quero aut quodlibet membrum suum esset quantitatis finite vel infinite. Si finite, igitur totum erit finitum, quia cum talia membra asini sunt finita numero, si etiam sunt infinite quantitatis nunquam corpus reddent infinitum. Si infinita, igitur quamlibet pars illius esset equalis toti, quod est contra primum principium. Similiter quia queram de illo asino ubi esset caput eius, et ubi pedes, et sic de aliis membris.

Secundo sic: si Deus possit facere corpus infinitum ponatur in esse et sit illud a, tunc signetur in illo corpore aliquis punctus ex quo excant due linee constituentes angulum obtusum, tunc certum est quod quanto ille die linee plus exhibunt ab illo puncto, quod magis distabunt ab invicem. Igitur si excant in infinitum, sequitur quod distabunt in infinitum, et quod earum distantia sit infinita. Sequitur etiam quod solum finite distabunt et inter illa erit distantia finita, tum quia illa distantia est inclusa inter duos terminos hinc inde, tum quia si ab eadem punto exirent due alie linee constituentes angulum apertum et protraherentur in infinitum sicut etiam due prime circum est quod magis distarent quam due prime. Igitur prime non distabant in infinitum, et sic ad corpus infinitum, sequuntur contradictoria, igitur illud Deus non potest facere.

Tertio sic: si conclusio non sit vera, sequitur quod deus poterit facere aliquod corpus quod non poterit moveri. Consequens falsum, probatur consequentia, quia si esset corpus infinitum non posset moveri motu recto, quia occuparet omnia, nec motu circulari, quia tunc una pars transferreretur ad locum in quo fuit alia, quod non potest intelligi de corpore circulari infinito, quia due linee protracte a centro ad circumstantia distarent ab invicem in infinitum, et sic una non posset ad locum alterius tempore finito pervenire.

Contra conclusionem arguitur tripliciter.

Primo sic: agens naturale finitum et limitatum potest producere corpus finitum. Igitur agens increatum potestatis infinite potest producere corpus infinitum. Apparet antecedens, quia asinus producit asinum, et terra plantam. Sed probatur consequentia, quia quanta est proportio potentie ad potentiam, tanta est proportio effectus producibilis ab una potentia ad effectum productibile ab alia, sicut si a habet unum gradum virtutis ad producendum unum effectum, et b duos. b poterit duplum effectum producere quam a, cum igitur potentia infinita excedat in infinitum potentia finitam, et finita possit producere corpus finitum, sequitur quod infinita possit producere infinitum.

Secundo sic: ultra omni corpore finito Deus potest producere maius corpus, igitur et corpus infinitum. Patet consequentia, quia corpus maius omni corpore finito est infinitum. Sed antecedens patet, quia in infinitum potest augere aliquod corpus, ita quod nunquam erit tantum quin illud possit amplius augere.

Tertio sic: in omni loco in quo Deus est, ipse potest creare corpus equale illi loco. Sed deus est in loco infinito imaginabili, tale autem corpus necessario erit infinitum igitur. Maior patet, in aliqua parte illius loci Deus potest aliquod corpus creare, et non magis una quam in alia. Igitur in omnibus si igitur in qualibet parte illius loci potest aliquod corpus creare. Igitur et potest illum locum corporibus replere, et ex illis omnibus posset unum corpus componere tale autem esset necessario infinitum. Sed minor apparet, quia antequam Deus creare mundum alocubi era et non nisi in tali loco imaginabili igitur.

Respondeo.

Ad primum, nego consequentiam. Ad probationem, dico quod talis proportio solum est inter duas potentias finitas, quia licet potentia infinita excedat in infinitum quamlibet potentiam finitam, non tamen potest producere esse actum qui tantum excedat effectum potentie finite, quantum ipsa excedit potentiam finitam, quia talis esset Deus quia tantum excederet aliquam creaturam quantum facit Deus quod implicat, vel aliter dico quod consequentia esset bona, si agens finitum posset per se solum producere aliquem effectum finitum. Sed hoc non est verum, quia sine agente infinito agens finitum nihil potest producere, iux illud Iohannis, sine me nihil potestis facere, ut patuit etiam in prima quaestione.

Ad secundum, dico quod ultra omne corpus finitum datum Deus potest maius facere. Secundo dico quod ultra omne, corpus finitum datum vel dabile Deus potest maius facere, quia omne corpus quod potest facere est finitum et dabile. Dico tertio quod non potest facere corpus ita magnum, quin posset maius facere, quia infinitum corpus potest facere, licet non potest facere corpus infinitum.

Ad tertium, dico quod nullus est locus imaginarius infinitus in re. Item quod Deus non est in aliquo loco, nec fuit, nec erit, nisi ille locus sic fuerit vel erit. Et sic negatur minorem. Ad probationem dico quod ante mundi creationem Deus non erat alivubi, sed solum erat in se ipso, ut dicit Magister, libro 1, distinctione 37.

Tertia conclusio est quod increatum esse multitudinem infinitam non valet producere. Probatur tripliciter.

Primo sic: increatum esse non potest **regulatam** multitudinem producere, quando maiorem valeat producere, igitur non potest producere multitudinem infinitam nulla potest esse maior. Et antecedens patet, quia omni multitudini quae Deus potest facere opse potest unitatem addere.

Secundo sic: ad Deum facere multitudinem infinitam, sequuntur contradictoria. Igitur ipsam non potest facere. Consequentia nota. Sed probatur antecedens, quia hoc possit faciat Deus infinitos viros et infinitas mulieres illis uxoratas, ita quod quelibet mulier habeat virum suum et quelibet vir habeat uxorem suam. Hoc posito sequitur contradictio, quia sequitur quod numerus virorum sit equalis numero mulierum, patet quia quelibet habet suam et quelibet habet suam. Sequitur secundo quod numerus mulierum sit maior, quia accipiat primus vir secundam mulierem, et secundus vir quartam et tertius sextam et sic semper alternat in recipiantur mulieres a singulis viris, tunc mulieres acceptae sunt equales viris, et tamen tot mulieres remanebunt quot sunt acceptae. Igitur numerus mulierum est maior. Sequitur tertio quod numerus virorum sit maior, quia accipiat secundus vir. Primam mulierem et quartus secundam, et sextus tertiam et sic semper homines alternatim recipiant singulas mulieres, sequitur ut prius, sed aperta contradictio est quod numerus virorum sit equalis numero mulierum et e converso, et quod sit maior insimul, igitur.

Tertio sic: quia faciat Deus si potest infinitas animas quibus factis ponat in gloria medietatem et aliam medietatem reliquat mundo. Tunc quero aut anime beate erunt finite vel infinite. Si finite, igitur pars erit equalis toti et non plus erunt omnes anime tam assumptae quam relictae, quam solum sint assumptae quod aperte est falsum, quia sola medietas animarum est assumpta si finite, igitur et anime relictae etiam erunt finite, igitur omnes insimul sunt finite, quia duo finita non faciunt unum infinitum, et sic dicte anime erunt finite et infinite quod implicat igitur etc.

Contra conclusionem arguitur tripliciter.

Primo sic: Deus potest infinita creare successive, igitur et simul, igitur et potest facere multitudinem infinitam. Patet antecedens, quia potest mundum in eternum consevare et omni die unam animam creare. Et patet prima consequentia, quia quecumque permanentia potest facere successive et insimul, quia ipsorum simultas non repugnat. Et secunda consequentia de nota est.

Secundo sic: species numerorum sunt infinite, igitur. Patet consequentia, quia omnes illa a Deo producte sunt. Et antecedens ponit Linconiensis, 1 Posteriorum, dicentis, infinite sunt species numerorum et ille comprehendi non possunt ab intellectu increato infinite potentie. Item Augustinus, 12, De civitate Dei, capitulo 12, ait omnes numeros Deus novis eos quippe infinitos certissimum est.

Tertio sic: sicut Deus per unam horam potest unum corpus producere, ita potest primam parte proportionalem separare actualiter a secunda et secundam a tertia, et sic in infinitum nullam ipsarum corrumpendo. Igitur potest infinita corpora facere actu divina non communicantia. Antecedens patet, quia omnes parte proportionabiles quas Deus actualiter novit et distincte potest ab invicem separare, sed omne partes proportionales istius corporis Deus distincte novit [94ra] et actualiter, igitur. Probatur ista minor, quia si Deus cognosceret solum finitas partes pro proportionabiles, sequeretur quod aliqua pura creatura tot partes proportionabiles alicuius corporis posset cognoscere quot Deus. Prima consequentia patet quia si taliter aliquod corpus divideret, nulli dubium quod ex ipso partes infinitas facere.

Respondeo.

Ad primum, dico quod licet Deus posset infinita creare successive, non potest successive creare infinita, nec potest facere simul omnia permanentia que potest facere, quia non potest tot quin plura potest facere. Unde noto quod aliud est dicere Deus potest infinitam multitudinem facere, et aliud est dicere Deus potest facere infinitam multitudinem, quia in prima propositione **li** infinitam stat sinchategorematicè et denotatur per istam propositionem non tantam multitudinem potest Deus facere quin maiorem possit facere, et ista conceditur, sed in secunda propositione **li** infinitam stat categorematicè et denotatur per istam propositionem quod Deus potest facere aliquod multitudinem que erit multitudo infinita, et ultra quam non potest maiorem facere, et ista est falsa. Concedo, igitur, quod Deus successive infinitam potest facere similiter et insimul infinita potest facere. Sed non quod possit facere, nec successive, nec simul infinita.

Ad secundum, dico quod infinite sunt species numerorum, sed non sunt infinite, nec ipse species numerorum sunt aliquid extra animam, nec absque numerante anima, ut patet questio 27.

Ad tertium, dico quod Deus potest separare prima partem proportionabilem a secunda, et secundam a tertia, et sic in infinitum, nec tamen erunt de facto separate ab invicem partes infinite, sed solun finite, et cum dicitur, potest separare omnes parte huius corporis, sicut omnes cognoscit et omne parte huius corporis sunt infinite. Dico quod omnes partes alicuius corporis non sunt infinite, licet infinite sint, dico etiam quod Deus non cognoscit illas partes esse infinita, licet infinitas illas esse cognoscit quod tot partes proportionales non possunt fieri quin plures possunt fieri, et sic dico quod potest infinitas partes separe, quia non tot quin plures licet non possit separare parte infinitas nec hic provenit ex impotentia Deu, sed quia illud esset contra rationem continui, scilicet quod actualiter sic esset divisum, quod amplius non posset dividi,

etiam quia potentia Dei tantum est perfecta quod per nullam divisionem [94rb] vel creaturam potest exhauriri sic qui ampliorem divisionem vel creaturam possit facere.

Ad argumentum in principio quaestionis factum, negatur antecedens de quo tamen magis alias videtur, scilicet libro 3, quaestione 6. Ad Magistrum, posset dici quod loquitur de sapientia et gratia increata que fuit data ipsi christo in quantum homo per unionem ipostaticam.